



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XI. Ioannis Papae VIII. Ad Carolvm Calvvm Imperatorem. Laudat  
eum de iudicio in Emmenum prolato, & hortatur vt cum illo clementer  
agat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA XI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM CALVVM IMPERATOREM.

Laudat eum de iudicio in Emmenum prolato, &  
hortatur ut cum illo clementer agat.

*Ioannes episcopus Carolo imperatori.*

**S**VPER iudicio vestro in Emmenum prolato, o rectissime imperator, cum calo tota terra lætatur. Scriptum est enim: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Cur autem Psalms. 57. dicimus lætatur, cum super iudicio Salomonis scriptum sit: *Quia audierunt omnis Israel iudicium quod indicasset rex,* 3. Reg. 3. *timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium?* Super quo videlicet iudicio sentiendum merito ducimus, quia lætati quidem benigni, tristati vero sunt omnino maligni. Ergo & hic ita datur intelligi, quia nimis super iudicio vestro lætantur iusti, deterrentur iniusti. Nam & omnipotens Deus, cuius & vos iudicium æmulamini, terribilis peccatoribus, & blandus est iustis. Quia igitur super Emmeno iam exhibuistis seueritatem iudicii, quæsumus exhibete de cetero pietatis insigne. Imposuistis in humeros eius onus austерitatis: adhibete iam nunc id remouentem digitum lenitatis. Mementote quia hunc vobis cum Petro Paulus dilectis suis, sicut Phi- Ad Phil. 1. lemoni quondam Onesimum, remittit, implorans & obsecrans, quatenus eum ut sua viscera suscipiat. Quia etsi fortassis ad horam aliquando quidem vobis inutilis, exemplum non bonum ceteris tribuens, visus est; nunc autem & vobis, & nobis, & plurimis utilis est, longanimitatis formam & patientiæ cunctis ostendens. Rogamus ergo, ut penes vos non sibi tam suus obsit excessus, quam fidei & amoris erga vos habiti proficit affectus. Et quia noxam propriam & pœnam indictam sibi confiteri non renuit, animaduersione remota quam meruit, patronos vestros, sanctos scilicet primos apostolos se proficie adiisse & salutasse de reliquo sentiat, & de tanto sibi collato munere lætetur & gaudeat, ut ubi abundauit peccatum, superabundet secundum Apostolum gratia. Data pridie Kalendas Nouembbris, inductione decima.